

Ann. II
Fasc. 2
m. Junio
a. 1939

LYGIA

Rok II
Nr 2
Czerwiec
1939 r.

COMMENTARII SOCIETATIS LINGVAE LATINAE
Usui Internationali Adaptandae
CZASOPISMO TOW. UMIEDZYNARODOWIENIA ŁACINY

*Ut quondam validis Ursi servata laertis
Comunxit nostram cum Latio patriam,
Nunc grates solvens adscitae coniugis urbi
Romanam linguam nuncupat illa globo.*

*Ongi śmierci wydarta dzięki Ursusowi
Sprzegła z Rzymem kraj Lecha węzły serdecznymi;
Teraz niosąc dar wdzięczny małżonka grodowi,
Sławny język Latynów głosi wszystkim ziemii.*

Pretium 50 gr.
Cena

**Do nabycia we wszystkich księgarniach Gebethnera i Wolffa
i u Wł. Michalaka (d. Książnica Atlas) w Warszawie**

VARSOVIAE — MCMXXXIX

Index rerum

- Th. Zieliński: Svitesia.*
I. Wieniewski: De patrona nostra.
- I. Krzyżanowski: De Lygia, „dimidia nigra“ et internationalismo.*
L. Zawadowski: Sermo redivivus.
- Folliludum.
Dr I. K.: Cikero.
L. Zawadowski: Periodica perlustantur.
Rerum gestarum Societatis ratio annua redditur.
Nuntii varii.
Commercium litterarum.

Spis rzeczy

- Taeusz Zieliński: Świtez.*
I. Wieniewski: Lygia, nasza patronka.
J. Krzyżanowski: Lygia, pół czarnej i internacjonalizm.
L. Zawadowski: Język zmartwychwstały.
Zawody w pilce nożnej.
Dr J. K.: Cikero.
L. Zawadowski: Przegląd czasopism.
Sprawozdanie z działalności Zarządu.
Komunikaty.
Odpowiedzi redakcji.

SVITESIA

Cum ante hos annos XIV in Tragodumenis meis Cracoviae sumptibus Academiae nostrae editis de locis tragoediae Graecae rudimentalibus dissererem, imprimis eam rationem tractavi, cui „irriti consilii“ nomen indidi. Haec cum in eo constet, quod ex consilio, quod in dato artis opere irritum appareat, de eo, quod in opere praecedente ratum fuerat, coniecturam facere aliquando licet, ordinem ducere iussi poëtae nostri Mickiewiczii elegantissimam ballatam, quam „Svitesiam“ inscripsit a lacu patrio, cuius nympa ab audacibus exploratoribus capta miraculosa sua sororumque suarum fata enarrat.

Stabat ibi quondam opulenta civitas, Svitesia nomine, principi Tuhanano subdita; cuius opes militares cum Lithuaniae dux flagitaret, noluit ille officio deesse, sed tamen inquietum eum reddebat Svitesianarum matronarum virginumque absente exercitu sors. Cui ita filia:

„VADE, PATER, QUO TE VIRTUS TUA DUCIT HONORQUE,
 NEU TE DE NOBIS SOLLICITUDO PREMAT;
 „FIDE DEO, CUIUS PER NOCTIS SOMNIA VERA
 ANGELUS HOSCE OCULOS CONSTITIT ANTE MEOS
 „NEC MORA, SVITESIAM FLAMMA CIRCUMDEDIT ENSIS
 ET PINNARUM AURO FUNDITUS OCCULUIT
 „„DUMQUE VIRI““, DIXIT, „„PROCUL HINC FERA BELLA
 FACESSUNT,]
 CERTUS OPEM NUPTIS VIRGINIBUSQUE FERAM““.

Dicta fides sequitur; movet agmina nostra tuhanus;
 vix tamen oppressit nox tremebunda diem,
 cum procul auditus fragor armorum est et equorum
 hinnitus nec non „hurra“ subinde virum.
 protinus arietibus tunduntur moenia, portae
 procumbunt omnes, undique tela volant,
 curritur ecce foras, senibus mixta agmina matrum
 atque puellarum, praedaque parva simul.
 „vis manet“ exclamant, „iam frustra est claudere
 portas,]

proxima iam tergis russia tota ruit;
 „iamque mori praestat, iam fila abscindere vitae:
 hac vitanda via damna pudicitiae;“
 vincitur ecce timor, rabies subit; extrahere omnes
 divitias domibus lignaque ferre rogis,
 iamque rogos unaque domos ardere videres
 et vox terribilis mixta furore sonat:
 „dirae illam maneant, quae vitam abrumpere cessat;“
 clamor it; hanc flammam tollere qui potui?
 iamiam cervices cunctae trans limina tendunt,
 auget femineas dura bipennis opes.

ECCE NEFAS; QUID ENIM? VENIANT IMPUNE CATERVAE,
UT FERAT, INDIGNUM, TURPIA VINCLA MANUS?
AN PLACET HUIC FATO MORTEM PRAEFERRE SCELESTAM?
„PROH DEUS!“ EXCLAMO, „SUPPLICIBUS FER OPEM!
„EFFUGERE HOSTILES MISERIS SI NON LICET IRAS,
TU, PRECOR, INNOCUIS INSTRUE MORTIS ITER:
„AUT TUUS IN CINERES IGNIS PIA CORPORA VERTAT,
AUT VIVIS TELLUREM HISCERE, SANCTE, IUBE!“

PROTINUS ORANTEM NUBES CIRCUMDEDIT ALBA —
SIC NOCTIS TENEBRAS DISCUTIT ALMA DIES. —
PRAESTRICTOS OCULOS TERRAE DEMITTERE TEMPTO —
NEC IAM TERRA OCULIS CERNITUR ULLA MEIS.
SIC NOS SERVITIUM CAEDEMQUE EFFUGIMUS UNA;
FLORIBUS UT NITEANT HAEC LOCA LAETA VIDES?
HAE TIBI SVITESIAE FLORENT NATAEQUE NURUSQUE,
HAS FORMAS IUSSAE NUMINE FERRE DEI.

Iam vides in quo rei cardo vertatur. Svitesianae cum pudicitiae suae damnun morte voluntaria evitare constituerint, quae res christiana de suicidio doctrinae refragatur, poëta irritum hoc consilium reddidit Dei miraculo inducto, quo secundum narratricis preces puellae in flores sunt mutatae, urbs ipsa in lacum demersa. Nos autem inde concludimus hoc suicidii consilium, quod in poëtae nostri ballata irritum est factum, in fama praecedente — narratiunculae scilicet populari — ratum fuisse; et recte nos ita concludere aliunde scimus.

Et propterea in libro, de quo supra mentionem feci, ballatae fragmentum versibus latinis reddidi — tota enim nimis longa extitisset. Quod fragmentum nunc dimidio auctius repeto.

Dr IGNATIUS WIENIEWSKI

DE NOSTRA PATRONA

Etsi epigrammate, quo singulos huius periodici fasciculos instruere solemus, titulus eius satis explanari videtur, liceat mihi plura dicere, cur Lygiam patronam nostram sumpserimus.

Ex egregia de „Idea Polonia in Sienkiewicii operibus“ dissertatione, in Thaddaei Zieliński libro collocata, cui titulus est: „Ex arvo patrio“ (Z ojczyznej niwy, 1923), apparet auctorem celeberrimi illius „Quo vadis“ finem certum appetivisse, cum Lygiam in fabulam suam introduxerit. Quae filia ducis Lygiorum vel Lugiorum gentis, Taciti testimonio (Germ. 43) inter Vistulam Viadulamque habitantium, multis adversae fortunae casibus iactata Romam venit, ubi a Pomponia Graecina, tutrice sua, commota religionem Christianam amplexa est. Secundum vero doctrinam quandam, „Quo vadis“ nascendi tempore ortam (dr Adalbertus Kętrzyński, 1881), illi Lugii eidem ac Lechitae, Polonorum maiores, dicuntur. Quae doctrina, rectane sit an falsa, haud diiucaturi, Sienkiewiczium Lygiam sine dubio Polonam putavisse affirmare debemus.

Quid igitur ille scriptor sibi proposuit?

Solvitur haec quaestio illo fabulae cardine, cum in arenam amphitheatri immanis taurus Germanicus irruit, Lygiam vinctam in tergo ferens. Polona — seu Polonia — in tauri Germanici cornibus... Symbolum, revera, nequaquam obscurum! At quisnam Lygiam servat? Ursus enormis corpore, Lygius humilis in plebe homo. Nosmet vix novimus neque sumus decreturi, fueritne Sienkiewiczio in animo, secundum propriam exeunti XIX saeculo opinionem, illo ipso exprimere Poloniam a rustica plebe in libertatem vindicatum iri. Quoquo modo se res habet, cum in aliis Sienkiewiczii operibus (ut ex. gr. „Bartek Victor“, „Cruciferi“) ubi res Polono - Germanicae permagni sunt momenti, idea nationalis tam clara apparet, tum etiam hic eadem Lygiam interpretem invenit. Quibus res nondum ad finem adducta est. Lygia per matronam Romanam baptizata Romano nubit. Quod symbolum nobis gravissimum videtur. Nos enim, Latinitatis propugnatores in Polonia, quae Romae antiquae cultu atque humanitate semper imbuta erat, nos — dico — ideam nostram a Lygia exprimi arbitramur. Lygia, ut epigrammatis verbis utar, „coniunxit nostram cum Latio patriam“. Quae vincula nobis cariora sunt ceteris. Neque enim Polonorum cultus humanitasque, quae Roma originem suam trahit, sibi ipsi fidelis esset, nisi fundamentis Latinis inniteretur. Romae vero Polonia gratiam debet. Ad linguam igitur Latinam internationalem restituendam aliquid conferentes, illam gratiam solvere cupimus atque studemus.

Dr IULIUS KRZYŻANOWSKI

DE LYGIA, „DIMIDIA NIGRA“ ET INTERNATIONALISMO

Tertium numerum Lygiae prelo subiecturis liceat iam nobis pallulum subsistere ac quo loco res sit, circumspicere. Primum nostros metus ne fortasse Lygia modo resurrecta celeriter iterum obitura esset, vanos fuisse probatum est. Persuasissimum habemus nostro periodico lacunam a multis moleste latam expleri et nos desiderio multorum satisfacisse. Testes sunt plurimae litterae, quas e diversis partibus non solum Poloniae, sed etiam orbis terrarum (ex. gr. Harbino) accepimus, testes sunt bibliopolae monitus telephonicus alia atque alia exemplaria flagitantis, testes sunt denique novi Societatis nostrae sodales. Nec praetereunda est — „ut nos collaudem“ — benevola nonnullorum (externorum quoque) periodicorum opinio, quae nos ad perseverandum in coeptis nostris adhortatur. Ac si formam primi numeri in memoriam revocamus, nostram Lygiam hoc spatio temporis aliquantulum corporis fecisse et decentius vestitam nunc in lucem prodire nullus negabit. Unum tamen in hoc concordi vocum concentu permirum videtur: tacent ii, quibus lingua Latina eiusque futura fortuna maximae curae esse debeat. Quindam huic rei causae sit, altius investigare nolumus. Fortasse tamen non ab re erit hic explanare, quem finem Lygia sibi proposuerit. Quam praeposteras nationes de ea re concipiant ii, a quibus minime tale quid expectaveris, vel hoc argumento esse potest: cum aliquando ad „dimi-

diam nigram“ otiosus sederem et cum quodam familiari, qui pro auctoritate sua ad cultissimos circulos (homo doctus erat) urbis referendus esset, confabularer, eique societatis nostrae mentionem inter alia fecissem „Proh - magna voce exclamavit distortuens oculos — quid audio? usui internationali? in latomorum*) manus incidistis!“ Quid facias illi? iubeas miserum esse... Cui generi hominum contrarium est illud, quid linguam Latinam sola die Dominica audiens societatem nostram organon quoddam Ecclesiae putat. Quod etsi honestissimum, nihilominus fictitium est. Quo igitur tendimus? an ut in caupona Francogallica seu Turcica pernae Cheruscae gausapatae frustum nobis administrari lingua Latina iubere sciamus? Ita respondemus: in rebus humanis non malum plerumque videtur non propiorem sed ultimum finem sibi proponere. Nam et altius tota res tractabitur et „est quodam prodire tenus, si non datur ultra“. Ita in nostro universali fine multa utilia continebuntur imprimisque ars Latine scribendi ac loquendi, quam hodie prorsus neglectam iacere cum recensione doctarum dissertationum evincunt, tum nos quoque hoc exiguo temporis spatio comperimus. Quam ob rem si cui Roma antiqua cordi est, eidem Lygiam nostram amandam commendare audemus: *Lingua Latina agitur*.

*) liber caementarius.

LEO ZAWADOWSKI

SERMO REDIVUS (de lingua Gaelica)

m. Aprili h. a. Societatis nostrae cura auditio publica habita est a sodale nostro Leone Zawadowski, cuius auditionis argumentum in hoc commentariolo tractatur.

Sermo ille — non Latinus profecto — propinquus est tamen sermonis Latini. Nam non modo uterque membrum est societatis magnae linguarum Indoeuropaearum, sed etiam societatis minoris: linguarum Italo - Celticarum. Latina enim lingua una est ex Italicis, lingua Gaelica cuius de vita, morte et resurrectione pauca narrabo, ut cum linguae Latinae mortuae statu conferam, una ex Celticis est. Sunt, qui disputent, utrum lingua Latina mortua an viva sit; quae disputatio vana mihi videtur; duo sunt enim genera vitae linguae cuiusque: vita plena, cum non modo litterae sed etiam sermo floret, deinde litterarum mors, si sermo solus restat, quae est mors philologica. Saepe tamen fit, ut primum decedat sermo litteris modo restantibus, quae est vita philologica; mors plena denique, si neque litterarum neque sermonis in animis viventium vestigium mansit. Linguam Latinam nunc vita nisi philologica non fungi, nemo est, qui neget. Sed quid ego de morte et sepulcris? Ad ea tempora vertamus mentes, cum utraque lingua paulo postquam ex societate Italo - Celtica emersissent, novam vitam agerent: altera in Italia, altera in Imperio Celtico magno, quod a Rubicone flumine usque ad Pictorum oras, ab Iberia usque ad Pontum Euxinum extendebatur. Ex una

lingua Celtica mox multae exstiterunt, magnum imperium in saecula minuebatur ita, ut Caesaris temporibus Gallia Cisalpina iam sub iugo Romano esset, liberique Celtae Galliam Transalpinam modo (extra Narbonensem) usque ad Rhenum tumen et insulas Britanniae et Hiberniae incolerent. Sorores linguae proelium maximum in Gallia Transalpina commiserunt, occidit post multa decennia Gallica, Latina vicit finesque eius usque ad Britanniam promoti sunt, in qua interea idem proelium linguarum saevire coeperat, quod eundem finem habiturum erat, nisi incursio Germanica imperium Romanum delevisset. Sic transit gloria mundi! Imperium, quod tot linguas destruxerat sub Germanica barbarie iacebat semivivum, linguae autem eius mox vitae pars dimidia adempta est: occidit totius orbis Romanus sermo Latinus, sermo urbis Romae, cuius in locum linguae Romanicae successerunt, nihilque mansit nisi litterae Latinae vitam philologicam in barbarorum diluvie vix degentes ignesque parvuli sermonis, qui pietate magna in monasteriis cultus servabatur. Iam pridem imperium Celtarum dissolutum erat, sed cum multae linguae Celticae ab hostibus oppressae moriebantur, quaedam intactae restabant ita, ut Imperio Romano collabente duae insulae Celticae: Insula Alba — Britannia et Hibernia manebant.

Ut Galliam Franci, ita Britanniam Angli, Juti, Saxones invaserunt, Britannos Celtas, quamquam non sine diuturnis proeliis, tamen denique oppresserunt et sermonem suum Britannis incientes, linguam eorum, quae nunc Anglice Welsh, ipsorum Cymru (Cymrica) vocatur in insulae partem occidentalem reiecerunt. Una tamen ora et Romanorum et Germanorum armis caruit: Insula Smaragdina, Insula Sanctorum - Hibernia. In hac insula lingua Gaelica vigeat et sermone et litteris dives; notum est enim omnibus Celtas omnes, imprimis autem Gaelos (Hibernos), litterarum et sermonis vivi artisque musicae amantissimos esse.

Hibernia, quod cultum Romanum non per armorum vim, sed a fidei Christianae nuntiatoribus accepit, proprium sibi cultum et mores Celticos servavit, quod autem a nullo hoste externo depopulata erat, non modo notam Celticam, notam Christianam et Romanam in vita sua colere Gaeli (Hiberni) non destiterunt, sed etiam Europae a barbarie oppressae auxilio venerunt, cum monachi Hiberni in continentem veniebant et regiones regni Galliae, Germaniae, etiam Italiam peragrantes, cultum quem proavi acceperant, propagabant. Itaque ad cultum Renatum Carolingianum q. v. multum valuerunt. Errant igitur, qui rerum Medio Aevo gestarum ignari, in Hibernia eandem barbariem atque in continenti regnavisse putant, nam etiam postea, cum tempora et Danorum et Anglorum incursionibus obscurata sunt, numquam Hiberni humanitatem amiserunt. Id enim est ingenium Hibernicum, ut etiam homines indocti et ineruditi, quique apud alios gentes inculti essent, mirabili humanitate, liberalitate, animi magnitudine ac decore praediti appareant; quanto magis doctores principesque civitatum. Hibernorum animus operaque spiritualia imprimis sunt; itaque urbes magnas non habuerunt, neque mercatura multum valuerunt, neque ad alios populos subigendos proficiscebantur, sed gentium familiarumque patribus res publicas gerentibus ruri habitare soliti erant, agriculturae, venationibus, doctrinae, arti poeticae ac rebus divinis operam dantes, nam litterae magno studio in monasteriis colebantur, in quibus etiam antiquissimis temporibus, quasi universitates studiorum fuerunt, principesque gentium

atque, ut ita dicam, senatores magna cura poetas, rerum gestarum scriptores, viros doctos fovebant.

Imminutum erat Celtarum Imperium parvaque insula sola manserat veteris gloriæ heres neque tamen quidquam detrimenti vigor sermo nis ceperat. Qui linqvis vivis operam dant eisqve expedite loqui sciunt, qui populi sermoni vivo, carminibus atqve cantui procul a „doctorum“ nonnullorum torpore libenter aures dant — intellegunt profecto, quantum locum in mente humana sermo vivus occupet. Sed mox caelum nubibus obductum est, cum homines ab oriente trans mare Hibernicum venientes populum Insulae Smaragdinae, fidem eorum atqve sermonem opprimere coeperunt. Mortuus erat sermo Latinus, Litterae hoc ipso tempore Renatae in continenti florebant; non ita actum est de lingua Gaelica: mors enim philologica prima venit, vigor sermonis etiam tunc mansit. Post saecula proeliorum plena non erant principes Hiberniae, monasteria et castella diruta iacebant, non erant, qui poetas doctoresque foverent et litterarum occasus necessario clades et bella secutus est. Qui antea poetae principum doctoresque monasteriorum erant, tunc poetae agrestes facti sunt, neque unus vicus fuit in tota Hibernia, cui poeta suus non esset. Quae Universitates doctae in monasteriis fuerant, tunc scholae rusticae factae sunt, quae „scholae ad saepem discentium“ (hegde schools) vocabantur, ubi litterarum Gaelicarum rudimenta docebantur. Rari doctores regiones peragrabant libros manuscriptos conquidentes, quos transcriberent itaque a pernicie conservarent, cum ars typographica ad insulam a cultu Europae omni modo ab invasoribus interclusam pervenire non posset. Sed mortem philologicam sermonis quoque occasus sequi visus est. In ruinis enim vitae Gaelicae nova vita, quae Anglo-Hibernica vocatur, crescere coepit: ab urbibus magnis profecta, quae tunc exstiterunt, latius latiusque ad occidentem versus in regiones penetrabat: arma eius libri typis expressi erant, machinae novae, viae perfectiores, sermo denique Anglicus, quo qui uterentur, omnia vitae urbanae commoda mercaturaeque tunc demum ortae facilitatem assequi poterant. Nondum cesserat saec. XVIII sermo Gaelicus, etiam saeculo XIX incipiente, praeter Dublin urbem paucasque ceteras urbes maiores nullus alius sermo in Hibernia audiebatur. Sed in annos vires eius minuebantur, nam omnes lingua Anglica uti cupiebant, qua faciliorem vel saltem tolerabilem vitam fieri viderent, O'Connell'o ipso, qui Hiberniae Liberator appellatus est, ut sermonem Anglicum Hiberni discerent, suadante, aliter enim numquam iura aliqua in sua ipsorum terra assequi posse videbantur. Cum autem ad haec omnia vectura vaporaria accessit, quo modo lingua Gaelica adventicii sermonis diluvio resisteret? Ita, quos arma non flexerant, machina vaporaria et fabrica flexit; sermonem, quem hostes trucidare non poterant, suorum cum peregrinis commercium obsoletum facit.

Annis 1846-7 maxima calamitate Hibernia affecta est: morbus quidam tunc ignotus (quem *Phytophthora infestans* facessit) fructum annum solani pessumdedit; hinc fames atrox, homines in campis viisque publicis morientes, dum frumentum trans mare vendebatur. Ante Famem, A. D. 1841 hominum circiter 8.196.597 Hiberniam incolebant, post Famem, A. D. 1851: 6.574.278 (*The Irish Year Book*, 1936). Si cogitaveris Fame maxime regiones rurales affectas esse, ubi solum integer sermo Gaelicus erat, intelleges per Famem Magnam rem Anglice loquen-

tium multo meliorem, rem Gaelice loquentium multo peiorem factam esse. Nunc vero (a. 1935) Hibernia 4.319.680 incolas habet. Deminutio atrox! Sed quo modo facta? — Insula Fame populata multi eorum, qui manserant, patriam reliquerunt, ut magnam partem in Americam proficiscerentur; quorum ab. A. D. 1851 usque ad A. D. 1910 plus 4.380.000 inventi sunt. Si cogitaveris eorum, qui insulam reliquerunt, maximam partem regionum ruralium earumque occidentalium, ubi imprimis lingua Gaelica servata esset, incolas fuisse, intelleges cur A. D. 1911 non plus 149.677 homines (ex incolarum numero 4.390.219) in Hibernia fuerint, qui et Gaelice loqui possent et eas regiones incolerent, ubi sermo Gaelicus praevaleret (79%), quae sunt partes extremae paeninsularum orae occidentalis insulaeque in oceano Atlantico sitae, quae vocantur Gaoltacht i. e. Regiones Gaelicae. Praeterea rari Gaelice loquentes per Hiberniam dispersi, qui tamen omnes non modo etiam Anglice loquebantur, sed si procul a Regionibus Gaelicis vivebant linguam Anglicam Gaelicae anteponebant ita, ut si ob ora occidentali profectus plus minus 20 milia passuum Anglica procederes, iam, praesertim in urbibus, sine lingua Anglica nihil agere posses. Contra, in Regionibus Gaelicis omnes praeter senes etiam Anglice loqui poterant. Ita extremis promunturiis occidentilibus exceptis totam insulam sermo Anglicus occupaverat ac post mortem philologicam et sermo omnibus civibus praeter colonorum Oceani-que Atlantici piscatorum manipulum mortuus esse videbatur.

(Porro tractabitur et absolvetur)

Zawody w piłce nożnej

W Warszawie na ulicy

Węgier (zwraca się do jakiegoś przechodnia po węgiersku): Przepraszam, chciałbym prosić o informację...

Polak (przerywając po polsku): Nie rozumiem Pana.

W. (po łacinie): Czy mówi Pan po łacinie?

P. (po łacinie): Oczywiście.

W. Jestem Węgrem, po polsku nie umiem. Chciałbym wiedzieć, gdzie jest stadion sportowy, na którym mają się odbyć zawody w piłce nożnej między Polską a Węgrami.

P. Właściwie tam śpieszę i chętnie Pana zaprowadzę.

W. Doskonale! Najuprzejmiejszemu Panu dziękuję.

P. Chodźmy więc. Widzę, że Pan nie jest mieszkańcem Warszawy. Skąd Pan przybywa?

Folliludium

(Res agitur Varsoiae via)

Hungarus (aggreditur quendam praetereuntem et dicit Hungarice): Ignosce, dic mihi, quaeso...

Polonus (interpellans Polonice): Non intellego te.

H. (Latine): Loquerisne Latine?

P. (Latine): Scilicet.

H. Hungarus sum, linguam Polonam ignoro. Scire velim, ubi sit arena gymnica, in qua certamen follis inter Poloniam et Hungariam habebitur.

P. Illo ipso ego quoque propero atque libenti animo te ducam.

H. Optime! Gratias plurimas tibi ago.

P. Eamus igitur! Video te Varsoviae non habitare. Unde venis?

H. Budapestino. Cum de hoc certamine inter gentium nostrarum catervas delectas audissem, retineri non potui, quominus hoc iter facerem. Eoque magis, quod iam

W. Z Budapesztu. Kiedy usłyszałem o tych zawodach między reprezentacyjnymi drużynami naszych narodów, nie mogłem się wstrzymać od tej podróży. Tym bardziej, że od dawna chciałem zobaczyć stolicę Polski.

P. I słusznie. Zawody będą na pewno piękne, a Warszawa też nie uchodzi za brzydkie miasto.

W. Niewątpliwie. Zresztą podróż z Węgier do Polski jest teraz tym łatwiejsza, że państwa nasze mają nareszcie wspólną granicę.

P. I niech Pan doda, że wspólna kultura łacińska umożliwi Węgom i Polakom porozumienie się językiem łacińskim.

W. Co znaczy ten tłum?

P. Oto już stadion. Ludzie tłoczą się do kasy, aby dostać jeszcze bilety wejścia.

W. Na szczęście kupiłem sobie już wczoraj bilet. Mam miejsce na trybunie. A Pan?

P. Ja także tam. Wejdźmy.

W. Nareszcie siedzimy. Godzina zawodów zbliża się.

P. Czy widzi Pan posła węgierskiego w pierwszym rzędzie trybuny?

W. Istotnie. Lecz cóż to za krzyk publiczności?

P. Czy nie widzi Pan, że drużyna węgierska wbiega na boisko? Gracze stają naprzeciw trybuny i pozdrawiają widzów.

W. Oby im się poszczęściło. Ze wzruszeniem patrzę na odznaki węgierskie moich rodaków.

P. A oto drużyna polska. Teraz od okrzyków cała trybuna się trzęsie.

W. Wstańmy. Orkiestra gra nasz hymn narodowy.

P. A teraz rozlega się hymn polski. Odegranie hymnów jest zwyczajem przyjętym na match'ach międzynarodowych.

W. Ale na tym jeszcze nie koniec, jeśli chodzi o oficjalną część zawodów. Kapitanowie obu drużyn witają się i wręczają sobie wzaje-

dudum Poloniae caput visere desideraveram.

P. Recte tu quidem. Certamen certe pulcherrimum erit neque Varsovia urbs foeda dicitur.

H. Sane. Ceterum iter ex Hungaria in Poloniam eo nunc facilius est, quod civitatibus nostris sunt tandem fines communes.

P. Adde communi cultu atque humanitate Latina imbutos Hungaros ac Polonos secum colloqui posse linguam Latinam adhibentes.

H. Haec turba quidnam sibi vult?

P. En area gymnica. Multitudo ad tabernam tesserariam ruit, ut tesseram obtineant.

H. Hoc feliciter contingit, ut iam heri tesseram emerim. Est mihi locus in suggestu. At tibi?

P. Ibidem. Intremus.

H. Tandem aliquando sedemus. Certamen mox incipiet.

P. Videsne Hungariae legatum in primis locis suggestus?

H. Iam video. Sed hic clamor multitudinis?

P. Quin tu aspicias catervam Hungaricam in aream accurere? Lusores adversus suggestum consistunt atque spectatores salutant.

H. Quod felix faustumque eis sit. Valde commoveor, cum civium meorum ornatus Hungaricos specio.

P. Ecce Polonorum caterva! Nunc clamore totus suggestus tremat.

H. Surgamus. Musici hymnum nationalem nostrum canunt.

P. Nunc autem hymnus Polonicus auditur. Nam hymnos sonare mos est in certaminibus internationalibus.

H. Sed quod ad sollemnem certaminis partem attinet, nondum confecta sunt omnia. Magistri ambarum catervarum alter alteri salutem dicit atque vexillum suae ipsius societatis gymnicae memoriae gratia tradit.

P. Scilicet photographi non se dedunt otiis: instrumentis suis strenue agunt.

H. Sed nos colloquimur, at arbi-

mnie pamiątkowe proporzycyki klubowe.

P. Oczywiście fotografowie nie różnią: aparaty ich pracują jak się patrzy.

W. Ale my rozmawiamy, a tu sędzia dał znak rozpoczęcia gry.

P. O, widzę, że Węgrzy ostro biorą się do rzeczy. Ich prawy skrzydłowy dostał piłkę i ciągnie ją w błyskawicznym tempie ku polskiej bramce.

W. Niestety wasz lewy obrońca sparaliżował jego atak.

P. Piłka wróciła na środek boiska. Nasza pomoc podaje ją prawemu łącznikowi. Strzelaj, nuże!

W. Strzał był celny, ale za słaby dla naszego świetnego bramkarza.

P. Piłka jednak wyślizgnęła mu się z rąk i upadła poza bramkę.

W. Będzie więc rzut różny.

P. Strzela prawy skrzydłowy.

W. Nic z tego: piłka poszła na „out“.

P. Ten Francuz doskonale sędziuje — wszystko widzi.

W. Właśnie! Słyszysz Pan jego gwizdek? Zarządził rzut karny, ponieważ środkowy napastnik polski grał w sposób niedozwolony i zbyt ostro (foul).

Tłum wyje: Precz z sędzią! Sędzia kalosz!

P. Rozjątrzona publiczność wygwizduje sędziego. Co do mnie uważam, że rzut wolny byłby słuszniejszy od karnego, gdyż gracz polski, któremu zarzuca się niewłaściwą grę, znajdował się poza polem karnym (11 m przed bramką).

W. Środkowy pomocnik strzela. Brawo! Bramka!

P. Mamy pecha! Stało się! Ale oto sędzia odgwizduje koniec pierwszej połowy. Zrewanżujemy się w drugiej.

W. Szczęście jest zmienne. Lecz trzeba przyznać, że drużyna polska grała świetnie. Jak doskonale bramkarz odpierał atak węgierski, leżąc niekiedy na ziemi.

P. Cóż z tego, kiedy nie mieliśmy szczęścia!

ter iam signum ludi incipiendi dedit.

P. Ah, video Hungaros rem acerrime aggredi: horum aggressor sinister, folle recepto, eum cursu velocissimo in portam Polonorum ducit.

H. Heu, sinister defensor vester impetum illius propulsavit.

P. Follis in mediam aream rediit. Auxiliarii nostri eum aggressori semidextro transmittunt. Feri, age!

H. Ictus fuit rectus, sed egregio custodi nostro levior.

P. Attamen follis ei e manibus elapsus est ac ultra portam cecidit.

H. Sequetur igitur ictus ex angulo.

P. Aggressor dexter ferit.

H. Nil agis: follis extra aream iactus est.

P. Hic arbiter Gallicus officio suo optime fungitur; nam omnia videt.

H. Sane! Audisne eius sibilum? Ictum poenalem praecipit, quia medius aggressor Polonicus illicite atque acrius lusit.

Turba spectatorum ululat: Pereat arbiter! Abi in malam pestem! I directe!

P. Multitudo irritata arbitrum explodit. Egomet ictum librum potiore fuisse censeo quam ictum poenalem, cum lusor noster, qui improbe lusisse accusatur, ultra spatium undecim metrorum ante portam fuerit.

H. Auxiliarius medius ferit! Macte! Porta!!

P. Nos miseros! Actum est! Ecce autem arbiter finem prioris partis certaminis sibilo designat. Cladem nostram vice versa in altera parte repensuri sumus.

H. Hodie mihi, cras tibi. Sed concedendum est catervam Polonorum optime lusisse. Quam egregie custos portae plerumque humi iacens impetum Hungarorum repulsabat!

P. Heu, fortuna nobis non favit.

H. Incipit alterum dimidium certaminis.

P. Omnes spectatores lusores nostros concitant. Audin hos clamores scansos modulatosque: Agite, Poloni! In portam Poloni!

W. Zaczyna się druga połowa.

P. Cała widownia dopinguje naszych graczy. Słyszysz Pan te okrzyki rytmiczne: Naprzód Polska! Polska gola!

W. Ho, ho, zaczynam mieć złe przecucia. Polska drużyna jakby się odrodziła!

P. Tak, tak! Wasza linia pomocy zaczyna słabnąć i nie może wytrzymać ataków naszego napadu! Oto jeden z graczy, aby sobie pomóc, pchnął piłkę ręką.

W. Ale sędzia czuwa. Zarządził rzut wolny do naszej bramki.

P. Jak świetnie nasz środkowy napastnik gra głową!

W. Prawy skrzydłowy wysokim rzutem podaje mu piłkę.

P. On nadstawia głowę, uderza... Brawo! Trafiał w sam róg bramki!

W. Niestety! Gdy słyszę te burzliwe oklaski i okrzyki radości, mało nie oszaleję.

P. Trudno, na wojnie fortuna kołem się toczy! Dotychczas mamy wynik nierozstrzygnięty — 1 : 1. Jeszcze nie wiadomo, kto zwycięży.

W. Teraz dopiero zaczęła się ostra gra. Obie strony chcą zdobyć ostateczne zwycięstwo.

P. Oto rezultat takiej gry: dwu graczy wpadło na siebie i jeden leży jak bez życia.

W. Nadbiega lekarz. Naciera mu nogę, lecz na próżno: tamten nie będzie mógł grać. O, już go znoszą z boiska.

P. A więc drużyna nasza będzie grała w dziesiątkę!

W. To nie ma znaczenia. Match i tak za chwilę się kończy.

P. A więc wynik nierozstrzygnięty utrzymał się. Jest on zaszczytny dla obu drużyn: każda z nich jest lepsza od drugiej.

W. Słusznie. A więc pokój bez zwycięzców i zwyciężonych.

P. Oto gwizdek sędziego. Koniec.

W. Następne zawody polsko-węgierskie odbędą się na pewno w Budapeszcie. Mam nadzieję, że Pan wtędy tam przyjedzie.

P. To nie jest niemożliwe. A więc do widzenia.

W. Do widzenia.

H. Ah, animus malum praesagit. Caterva Polonica tamquam renata apparet.

P. Recte tu quidem! Vestra auxiliariorum acies impetus nostrorum aggressorum sustinere non potest. En unus e lusoribus, ut se adiuvalet, manu follem pulsavit.

H. Sed arbiter vigilat. Ictum liberum in portam nostram praescripsit.

P. Quam egregie aggressor medius noster capite ludit!

H. Aggressor dexter alto iactu ei follem mittit.

P. Ille caput erigit, ferit... Euge! Follem in ipso angulo portae collocavit!

H. Ah, male factum! Cum audio istos multiplices plausus et clamores gaudii, paene deliravi.

P. Haec est alea Martis! Exitus est adhuc anceps: unus contra unum. Nondum scimus, utra caterva sit victura.

H. Nunc demum acerrime ludi coeptum est. Hi et illi victoriam assequi student.

P. Vide effectum tali modo ludendi: duo lusores inter se collisi sunt atque alter iam quasi exanimis humi iacet.

H. En medicus succurrit. Pedem ei fricat, sed frustra: nam ille ludere non poterit. Iam ex area efferitur.

P. Itaque ex caterva nostra decem tantummodo lusores restabunt.

H. Nil interest. Iam finis certaminis adest.

P. Anceps igitur exitus permanet, qui utrique catervae honori est: ambae meliores.

H. Probe. Quo modo pax sine victoribus et sine victis composita est.

P. En arbiter sibilat. Peractum est.

H. Insequens certamen Polono-Hungaricum certe Budapestini habebitur. Spero te illo tum venturum esse.

P. Quod sane verisimile est. Vale igitur!

H. Vale et tu!

Follicola.

C I K E R O

Diurnariis quibusdam ingeniosis, qui linguae Latine quaestiones ab ABC incipientes cognoscere debent, d. d. d.

RECTE DICENDI CUM NORMA EST RESTITUENDA,
NON „CICERO“ AT „KIKERO“ DIXERIS EGREGIE.
NUNC CASTRIS CHAOS IN DOCTIS MISERABILE REGNAT:
QUI SONAT HIC „CICERO“, FIT ALIBI „KIKERO“.
CONCORS UT FACIAT VULGUS, MOX INGENIOSUS
SUADEBIT QUIDAM: DIC MEDIUM „CIKERO“.

Dr J. K.

LEO ZAWADOWSKI

RERIODICA PERLUSTRANTUR DE OMNIBUS REBUS LATINE!

Qui commentarios Latinos, qui variis in civitatibus eduntur, non legunt, nimirum linguam Latinam restituere incredibile esse putant. Quodsi legerent, linguam Latinam restitutum iri intellegerent neque multis verbis novis opus esse, sed claris mentibus cordibusque fideibus, quae linguam immortalem per magnum hoc temporum discrimen ad novam vitam ducant. Tolle, lege! In *Almae Romae* fasc. 3 (m. Martio), quae ad novum Pontificem Maximum pertineant, invenis: De Eugenio Pacelli commentarium *Costaggini*, de Pontificis Romani triplici diademate disputationem et Pontificiae dominationis auspicationem. In parte, quae „Roma sacra“ inscribitur, epistula affertur Ssmi Patris Pii XII ad omnes fideles scripta, quam primam post electionem suam edidit. Carmen quoque in fasciculo est „Petrus immortalis“. In fasc. 4. Pii XII homiliam invenis de pace, quam habuit in templo Vaticano. Deinde varios commentarios: de prisco Romanorum regno, quem scripsit *Sylvius Romanus*, de musica sacra, de Floraliis (scr. A. *Costaggini*), de Antonio Van Dyck (scr. A. *Antonelli*), carmen denique „Iesu Christi Anastasis“. Partes statat, ut „De Latini sermonis notis singularibus“, omitto. *Iuventutis* fasc. 8. (m. Aprili) dicatus est Helvetiae multosque suaves commentarios de Helvetia eiusque rebus gestis audaciae et libertatis amoris plenis fert; hymnus gentis. *Helvetiae* Latine vertitur.

Intellegis nunc, lector benevole, operis pretium esse Latine loqui et legere discere, cum tam varias res per litteras Latinas cognoscere possis. Neque enim res nuper gestae, quibus fines civitatum Europaearum permutatae sunt, nuperrime autem belli imago mentibus obiecta est, praetermittuntur: in „Almae Romae“ (fasc. 4.) Annalibus de *Tszechoslovaciae* fine deque *Klaipeda* portu (quem Germani *Memel* vocant) a Germanis occupato legimus; *Poplicola*, Annalium auctor, *Chamberlaini* verba, cum, ne Tszechoslovaciam a Germanis iure occupatam esse concederet, recusavit cumque pactionis *Monacensis* fidem a Hitlero servatam non esse affirmavit, accurate refert. De *Klaipeda Lithuaniae* extorta *Germaniae* equae adiuncta iure *Poplicola* interrogat: „cui (scil. adiunctioni) quomodo Lithuania resisteret?“.

OPUS MAGNUM

Maximum factum Italicum notandum habuimus (Lygia II, 1): primum fasciculum „Per lo studio e l'uso del latino“ (bollettino internazionale di studi, ricerche, informazioni, Roma, 1939) iam in lucem prodidisse ab *Instituto Studii Romanis Provehendis* editum. Qui commentarii et paginarum numero (104) et scribentium auctoritate maximi momenti sunt omnium huius generis commentariorum, qui adhuc publici iuris facti sunt. Quinque partes distinguuntur: 1. ubi docemur, qui sit linguae litterarumque Latinarum in variis gentibus status. In hoc fasciculo *Batavia*, *Belgium*, *Britannia*, *Gallia*, *Germania*, *Helvetia*, *Hispania*, *Hungaria* tractantur. 2. ubi commentarios leges, quibus accuratius quaestio linguae Latinae promovendae tractatur. In hoc fasciculo de *Societate Latina Monacensi*, de statu linguae Latinae in *Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis* deque *Iuventute Budapestinensi* legimus. 3. ubi quaeritur, quem locum in scholis mediis lingua Latina eiusque usus colloquialis obtinet vel obtinere possit. In hoc fasciculo responsa ad quaestiones inveniuntur ex *Britannia*, *Dania*, *Iugoslavia* missa. 4. ubi cognoscimus, quid *Institutum Studii Romanis Provehendis* agendum instituat. 5. ubi varia invenies, quae ad rem nostram pertineant.

MEDICE CURA TE IPSUM!

In commentariis q. i. „Per lo studio etc.“ omnia praeclara esse videntur, si modo non Gallice, Italice, Germanice, Anglice — ut nunc est — sed Latine composita essent. Tales tantum modo commentarios „*Bollettino internazionale*“ i. e. „*Nunti universales*“ nominari liceret. Equidem nescimus, quid sit, cur viri Latinissimi ad alios viros, quibus lingua Latina nota est, de lingua Latina restituenda scribentes, alio sermone, nisi Latino utantur ita, ut opus sit „summariis“ Latinis. Ridiculum erit, si linguam Latinam suscitare conantes eam non adhibeamus. Sunt, qui dicant se nondum Latine loqui posse, dum non plane clarum sit, qua Latinitate, aurea quae vocatur an argentea uti liceat, vel alia omnia huius modi excusent. Nos tamen respondemus linguae Latinae, qui de ea loquantur, opus non esse, tales enim multos habet neque iam spirare potest; nam haec doctorum colloquia tantum ei prosunt, quantum — ut est in proverbio Polonico — *thus homini vita defuncto*. Non sunt veri restitutores Latinitatis, nisi qui Latine loquuntur, cum de Latinitate ipsa, tum de omnibus rebus. Qui Latinitatem vivam facere vult, suae ipsius menti plus vitae infundat, ut et cum vita humana artius coniungatur et a mortuis de mortua lingua disputationibus abhorreat.

UNIVERSALIA ANTE REM.

Quod non modo ad litteras valet, sed etiam ad omnes scientias, artes, fabricas. Multa enim vocabulariorum rudimenta et separatim et in commentariis periodicis publici iuris facta sunt, nuperrime autem rursus in „*Per lo studio e l'uso del latino*“ legimus multa vocabularia ab *Instituto Studii Romanis Provehendis* praeparari. Quid? Et glossaria et vocabularia libri sane utiles sunt, nisi rei natura violatur. Natura autem haec est, ut vocabularium sit compendium vocabulorum, quae in libris inveniuntur; glossaria autem componere ad libros nullos, facticiarum linguarum potius esse videtur, quam linguae Latinae. Cuius rei eventus est, ut vocabula Latina a recentioribus ficta, nullo ordine naturali coniuncta, omnes linguae Latinae facultates non exhibeant neque prosit legenti tale vocabularium vel ad pauca verba de re, quae eius intersit, pronuntianda,

nam cum inventores vocabula fingunt, dum non continue de re scribunt, sed carptim excogitant, permultarum rerum oblivisci solent, nomina autem artificiosa ad multas alias res fabricari, quas persimplicibus verbis nominare possent, si de re tota scriberent, non de singulis partibus, prout in mentem veniant. „Verbum verbo reddere“ etiam inter linguam Graecam et Latinam impossibile erat, quanto magis, si nostras notiones in Latinum vertis! Neque licet nobis Latinam arborem ad arbitrium nostrum flectere, sed Latinitate mentes nostras imbui oportet, ut, quid Latinum sit, per se intellegamus. Propterea videtur nobis scriptores Latinos naturae viam sequi oportere primunque libros Latinos varias partes vitae humanae, quae nunc est, tractantes scribere, deinde verborum indices componere; nam libri sine vocabulariis vivere possunt, vocabularii sine libris mortui sunt.

SPRAWOZDANIE Z DZIAŁALNOŚCI ZARZĄDU

Towarzystwo Umieźdzynarodowienia łaciny za czas od 26. 3. 1938 do 25. 4. 1939 r.

1. Zarząd rozumiejąc, że nie może być mowy o rozwinięciu szerszej działalności bez posiadania lokalu, gdzie możnaby umieścić na stałe sekretariat i bibliotekę Towarzystwa wystarał się o taki lokal. Dzięki uprzejmości J. M. P. Rektora U. J. P. oraz kierownika Sem. Językoznawstwa Indoeuropejskiego, śp. prof. St. Szobera, mogliśmy umieścić nasz ruchomy majątek w lokalu tego seminarium.

2. Zarząd odbył cztery posiedzenia; oprócz tego w ciągłym kontakcie z sobą pozostawali i odbyli cały szereg posiedzeń członkowie Komitetu Redakcyjnego „Lygii“.

3. Zarząd gdzie mógł próbował zbliżyć społeczeństwo do jęz. łacińskiego, np. zabiegał o szersze uwzględnienie łaciny i spraw łacińskich w Polskim Radiu, na razie co prawda bezskutecznie.

4. Zarząd informował w lokalu Towarzystwa, ul. Traugutta 3 m. 5, w godz. przyjęć sekretarza, o łacinie i sprawie odrodzenia łaciny.

5. Zarząd informował pisemnie pytających: osoby prywatne, szkoły, redakcje czasopism, zarówno o charakterze i działalności Tow. jak i o samej sprawie języka międzynarodowego i łaciny jako jedynym możliwym wyborze. Odpow. nasza na pytanie (Nr 938) umieszczone w kwietniowym numerze (Nr 40) 1938 r. „Medycyny Współczesnej“ została wydrukowana w Nr 42 (czerwiec 1938 r.) tego czasopisma (strona 662).

6. Zarząd utrzymywał Bibliotekę Tow. i prowadził w niej dyżury; ze zbiorów biblioteki korzystali członkowie Tow. i goście.

7. Sekretariat przyjął i załatwił 114 pism (do 20.IV.1939 r.); wysłano ok. 85 pism (25 do 11.IV.1939 numerowanych, około 60 nienumerowanych). Korespondencja z zagranicą odbywa się w języku łacińskim.

8. Zarząd dla usprawienia i udogodnienia wpłat i wypłat wyrobił dla Towarzystwa konto czekowe w PKO Nr 25.326.

9. Rozumiejąc, że bez kontaktu z członkami Tow. i ze społeczeństwem, jaki może zapewnić tylko wydawany regularnie druk, nie można myśleć o pozytywnej pracy, Zarząd zaczął wydawać czasopismo, pod tytułem „Lygia“, pierwotnie zamierzone jako biuletyn, którego ukazanie się jednak znalazło tak żywy oddźwięk w społeczeństwie, że biuletyn przekształcił się w czasopismo kwartalne. Komitet Redakcyjny stanowią: prof. dr Juliusz Krzyżanowski — redaktor, dr Ignacy Wieniewski i Leon Zawadowski. Wydawca: red. Franciszek Banasiak, który położył b. duże zasługi około wydawania czasopisma. Członkowie Tow. otrzymują „Lygię“ bezpłatnie. Początkowy nakład wynosił ok. 700 egz., obecnie 2000 egz. Rozesłania czasopisma dokonał Komitet Redakcyjny sam bez żadnych dodatkowych kosztów dla Towarzystwa.

NOWE WŁADZE TOW. UMIEJZYNARODOWIENIA ŁACINY

ZARZĄD

Prof. dr Tadeusz Zieliński —
prezes.

Dr Ignacy Wieniewski — wice-
prezes.

Mgr Leon Zawadowski — sekre-
tarz.

Red. Franciszek Banasiak —
skarbnik.

Prof. dr Marceli Handelsman.

Dr Juliusz Krzyżanowski.

Franciszek Baturewicz.

KOMISJA REWIZYJNA

Ks. poseł Padacz.

Dr Bonawentura Kamiński.

Prof. Stanisław Ostrowski.

OD REDAKCJI

„Lygia“ jest organem Towarzy-
stwa Umieźzynarodowienia Łaciny.

*

— W skład Komitetu Redakcyj-
nego wchodzą: Dr Juliusz Krzyża-
nowski (przewodniczący), red.
Franciszek Banasiak, dr Ignacy
Wieniewski, mgr Leon Zawadow-
ski.

*

— Pismo jest zasadniczo wyda-
wnictwem kwartalnym.

— Członkowie Towarzystwa o-
trzymują „Lygię“ bezpłatnie.

*

— Lokal Towarzystwa mieści się
przy ulicy Traugutta 3 m. 5, tel.

6-16-16 i pod tym adresem należy
kierować wszystkie listy zarówno
do Towarzystwa, jak też Redakcji
„Lygii“.

*

Ze względu na prace przygotowa-
wce zapowiedziane łacińskie „re-
sumé“ odkładamy do następnego
numeru.

Redakcja

*

Prosimy naszych Członków o
wplacanie składek na konto Towa-
rzystwa PKO Nr 26326. **Przypo-
minamy, że składka roczna wynosi
5 złotych.**

COMMERCIIUM LITTERARUM

D-us H. W. (Cracoviensis) scri-
bit nobis verbum „honorificabilitu-
dinitatibus“ (v. secundum nume-
rum „Lygiae“) a Baconianae hae-
resis fautoribus ita anagrammati-
ce resolvi: Hi ludi F. Baconis nati
tuiti orbi.

D-us S. K. (Vilnensis) proponit

versiculum

Multis annis nunc peractis
Nulla fides est in pactis (v. sec.
num. „Lygiae“) ita hodie mutan-
dum esse:

Qinque annis nunc peractis

Nulla fides est in pactis.

Aedes moderatoris:

Varsoviae, ul. Traugutta 3 m. 5

Adres Redakcji:

Warszawa, ul. Traugutta 3 m. 5

Telefon 6-16-16

Z1 Komitet Redakcyjny: Prof. Dr Juliusz Krzyżanowski. Wydawca: Franciszek Banasiak

Skład „POLSKA ZBROJNA“
Krakowskie Przedmieście 33,

Druk „DZWIGNIA“,
Widok 24.

